


Sed hæc omnia quamvis suo loco relinquuntur, nihilò peius se res habet. Vides enim per interpositionem Lunæ præterquam in Venere quām proximè accedi ad proditos, per sinus Copernici, numeros arcuum.

C A P V T X V I I .

Aliud de Mercurio monitum.



LLVD magis mirabere, cum promiserim, velle me corporibus ipsis inscribere Planetas, cur Mercurium non Octaedro inscripserim, sed passus sim eum in circulo aliquo ultra orbem inscriptilem ad quadrati Octaedri amplitudinem expatiari. Nam suprà cap. 13. & 14. pro 577, numero orbis inscripti surpaui 707. numerum circuli inscripti quadrato. Causam dicam. Primū, quia eius à Sole dígressio longior minimè pati potuit tam angustos carceres: deinde quia & Octaedron inter corpora, & motus Mercurij inter planetas peculiare quid, & commune inuicem habet. Nam in solo Octaedro super angulum erecto vsu venit, vt quadratum directis lateribus viam aliquam monstrat ampliori circulo, quām est orbis inscriptus, per medium transeundi. Id quod in nullo alio corpore quomodounque voluto vsu venit. Semper enim transuersa per medium & impedita incedent latera.



In hoc Schemate quatuor linea extrema sunt quatuor perpendicularares totidē planorum in Octaedro. R I T V sunt eorum planorum centra, determinantia amplitudinem orbis inscripti, de quo hic vides Circulum maximum. Qui orbis si intelligatur volui super punctis ad X H, duos angulos figuræ, reperiet in P Quadrante à poli circum circa amplitudinem aliquam maiorem, quām est O I vel O P semidiameter orbis, nempe O Q. Differentia eius est P Q. Et tanta est latitudo circuli, qui ultra orbem excurrens, instar Horizontis alicuis in Sphæra armilari,